Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26076
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Sed et hoc dicendum quod nullus sit apud eos bellator in lege habens scientiam iu
dicandi. sed omnia uana sint et caduca et plena stulticie. De propheta autem quod apud
eos esse cessauerit nulli dubium est. Querimus iuxta hebraicum quem interpretem N[ota] quid sit ariolus
ariolum. Hunc omnes interpretati sunt diuinum. exceptis lxx. qui pro hoc coniectorem trans
tulerunt. Et dicendum quod sepe etiam per alienos futura dicantur. sicut in balaam
diuino legimus. et in diuinis quinque urbium palestinarum. gaze. et ascalonis.
geth. accaronis et azoti. qui dant consilium. quomodo arca domini remittatur. Et est
sensus. Et uera et falsa a iudeis pariter auferentur. senem quoque. quem lxx presbiterum
transtulerunt. intelleget ablatum a iudeis. qui scierit in scripturis sanctis presbi
teros merito et sapientia eligi non etate. Neque enim apud iudeos senes esse cessarunt.
quos usque ad decrepitam senectutem sepe uenire conspicimus. et inueteratos dierum
malorum duos presbiteros iuxta theodotionem in danielis principio legimus. Nam et moy
si precipitur ut eligat presbiteros quos scit ipse presbiteros. Et apostolus paulus. qualis
presbiter eligi debeat plenissime scribit ad timotheum. Unde in prouerbiis dicitur.
Gloria senum canities. Que est ista canicies. haut dubium quin sapientia. de qua
scriptum est. Canicies hominum prudentia est. Cumque nongentos et eo amplius
annos ab adam usque ad abraham uixisse homines legimus. nullus alius
prius appellatus est presbiter id est senex. nisi abraham. qui multo paucioribus
annis uixisse conuincitur. Unde scribit et iohannes post pueros et iuuenes.
etiam ad senes dicens. Scripsi uobis patres quia cognouistis eum. qui a princi
pio est. Et roboam filius salomonis ideo perdidit regnum. quia noluit
audire presbiteros. Principem super quinquaginta CYNEKDOXIKWC a parte synedorikos
totum. Quomodo enim centuriones uocantur qui centum presunt militibus et
chiliarchi qui mille. quos nos tribunos appellamus. ab eo quod presint
tribui. sic in israhelitico exercitu quinquagenarii uocabantur. qui in